

Schmidius:  
Epistola,  
qua Christia  
et Faustus  
Küstner  
gratulator.





17289.

7

# EPISTOLA

Q V A

VIRO ILLVSTRI MAGNIFICO

SVMME REVERENDO CONSVLTISSIMO

AMPLISSIMO

CHRISTIANO GVILIELMO  
KVSTNERO

CONSVLATVS HONOREM

GRATVLATVR

Ka 1874

IOANNES PETRVS SCHMIDIUS.

---

LIPSIAE,

EX OFFICINA LOEPERIA.

АДОТВІД

АНД

СІМІЛІАЛІСТІКІІ СІМІЛІАЛІСТІКІІ

САМІЛІАЛІСТІКІІ САМІЛІАЛІСТІКІІ

АМІЛІАЛІСТІКІІ

ХРИСТАНІД ГАУІНІМО

КІЕВІНІРО

СІМІЛІАЛІСТІКІІ СІМІЛІАЛІСТІКІІ



СІМІЛІАЛІСТІКІІ

ЗВІСІЛІСТІКІІ ЗВІСІЛІСТІКІІ

АДОТВІД АДОТВІД

**E**t si, tum gravissimis eruditorum hominum vocibus, tum  
 permultis doctus exemplis, satis me cognouisse arbitrer,  
 quam res sit lubrica, quam periculosae plena aleae, animum ad  
 scribendi consilium adducere; hoc tamen tempus eum, qui me  
 vrgebat, timorem, si non prorsus depulit, ita tamen vim eius  
 minuit, in angustosque quasi limites coarctauit, vt iam, nescio  
 quo impetu, ad scribendum contenderem. Credebam enim,  
 siue ea proferrem, quae TVA non indigna iudicares grauitate,  
 siue, quod, vt factum sit, vereor, quae saepius ab aliis inculcata,  
 vulgo nota, protritaque essent, in tanta hac TVA omniumque  
 laetitia et gratulatione, vel pietatis officium quodammodo me  
 probaturum, vel honestiorem peccandi locum inuenturum esse.  
 Et hoc scribendi consilium rexisti IPSE, VIR ILLVSTRIS,  
 id est, instructissima TVA bonis libris bibliotheca, ad quam summa  
 TVA liberalitate mihi semper patet aditus, non contemnendam  
 huius rei visa est materiem suppeditare. Cum enim omnia  
 Ernesti, praceptoris nostri summe Venerandi, penitus in ani-  
 mo defixa essent nostro dicta atque consilia, tum hoc semper  
 grauissimum, et, quod, si qua res nostrae sinerent, aliquando  
 tentaremus, dignissimum habitum est, cum diceret, libros ve-  
 teres Iuris, non Iure Consultis tantum, sed et omnibus, iis  
 praecipue, qui ad res Theologicas aut discendas aut olim do-  
 cendas accederent, assidue diligenterque esse legendos. Huius  
 praecepti recens semper memoria efficit etiam, eo audaciae vt  
 progrederemur, illosque libros tractandos susciperemus. Primo  
 incidimus in Nouellas, quas vocant, Iustiniani, et in his non  
 pauca deprehendisse videmur, quae Theologiae studio ad  
 cognoscendum maxime sint necessaria. Quae si TIBI, VIR  
 MAGNIFICE, ad iudicandum proposuero, nolis me, talia au-  
 sum, arrogantiae suspectum, sed eum habere, qui hanc ob causam  
 TIBI me commiserim, quod benignum TE, eum  
 A 2

dem



## IV

demque maxime idoneum recte perperamue dictorum, arbitrum esse confidam.

Ecclesia, antiquis et recentioribus temporibus, tales nata est viros, tum qui dogmata Christiana, ad vnam Scripturae Sacrae normam exacte traderent, moresque hominum corruptos docendo, obiurgando, promittendo emendare vellent, tum qui iura principum, in primisque Imperatoris Romani maiestatem, ab effrenata pontificis Romani, qua vexaretur, audacia, defenderent. Sed cum non semper ea veritatis sit vis, quam hominum animi sentiant, surdisque saepe cantetur auribus, nihil aut parum bonorum virorum labores profecerunt, donec fatalis illa pontifici Romano literarum instauratio, cum ita afflixit, ut, si antiquam, qua usus est, impotentiam, et omnia sibi rapiendi libidinem, respexeris, quasi humi prostratus sepulvisque iaceat.

Duplici autem via et velut bipartito opus tam arduum adgressi sunt viri docti. Alii scripturarum magis diuinarum auctoritatibus subnisi, haud infelici successu, acerrimos in pontificem Romanum impetus fecerunt: alii doctorum antiquorum libris, immenso labore, perlectis, petierunt inuenientque, quibus, ex sententia intelligentium, vim pontificis Romani nullam omnino esse, demonstrauerunt. Qui vero libros antiquos Iuris hoc sibi consilio lectitandos sumferint, hi, quod sciam, sunt rarissimi. Nam, qui ad iuris scientiam animum adduxerunt, si hos libros legant, multa, quippe non sua, Theologis uestiganda relinquunt, atque tractanda; at hi, sacra tantum adamantes, praesidiis, quae hi libri suppeditant, necessario carent.

Videamus itaque, VIR MAGNIFICE, primum, quae pontificis Romani potestas, quae auctoritas fuerit, num ex Nouellis docere possimus. Negari quidem non potest, patriarcham Romanum, (hoc enim eo tempore nomen habuit), ceteris omnibus patriarchis et episcopis, honore et ordine antecessisse a), ob urbis forte auctoritatem amplitudinem-

que. Sed i non iuris quidquam in alios ei episcopos concessum, non exempti illi, cum reliquis clericis, ex potestate ciuili, ut ipsi parerent, non omnes ei res rationesque ecclesiasticae ad administrandum et ordinandum traditae, non ab his, ut talium rerum imperitus, et quasi profanus, exclusus Imperator.

Quid? si per partes eundo; demonstrauerimus, Iustiniani temporibus harum rerum nullam, patriarchae Romani vel consilio, vel imperio et auctoritate fuisse commissam. Iam vero certum est, Iustinianum cum leges ipse nouas ferret, veteresque aut emendaret, aut diligentius circumscriberet, ita semper loqui, ut appareat, nullius eum hominis in omni imperio habuisse rationem, nullique, legibus exento, contra faciendi dedita licentiam. Si igitur leges ad omnes pertinuerunt, quis non intelligit, patriarcham etiam Romanum illis paruisse, et, nisi paruerit, poenas legibus propositas dare debuisse? Nisi forte quis dicat, patriarcham Romanum, quia esset primus, solutum fuisse legibus, quibus omnes alii tenerentur. At Iustinianus eodem modo b) de patriarcha Romano loquitur, quo de ceteris, in omnes idem sibi ius vindicat, easdemque, si deliquerint, poenas omnibus minitatur. Quia inductus ratione talia audere potuit Imperator, nisi certum esset arbitratus, indubitate, patriarcham Romanum, ut ceteros, imperia sua debebere reuereret?

At detur hoc fortasse, quia res est tam plana et firma, ut, nullis interpretationum calumniis, alio detorqueri possit. Sed tamen ab eius pependit arbitrio, eiusdemque subiectum fuit imperio, quicquid ubique esset hominum ecclesiasticorum, patriarcharum, archiepiscoporum, reliquorumque. Ingente corpus harum constitutionum exiguum, ex quibus alia omnia cognosci possunt, testimoniorum copiam suppeditat. Ne te, VIR ILLVSTRIS, legenda hac nostra scriptiuncula, nimis diu detineamus, paucis defungamur. Dicimus, argumentisque idoneis doceri posse confidi-

A 3. ac quo veit Herodotus,

b) Nouell. 123. c. 3.

mus, omnes omnino clericos, etiam infimi generis, Imperatori proprie, non patriarchae Romano obtemperauisse. Id autem non sic acceptum volumus, quasi nullus prorsus clericus episcorum, et patriarcharum iudicio subiectus fuerit, imo vult Imperator, ut quisque, etiam praefectus monasterio, suorum curam habeat, litesque inter hos exortas componat, quin dat patriarchis, ut horum iudicio stent metropolitani et archiepiscopi, neque inde provocatione certetur. c) At vero ita princeps ius suum in clericos non abiicit, imo tenet exercetque. Facit enim canones ecclesiasticos et leges suas formulam, ad quam illi iudicandi a metropolitanis et patriarchis, litesque inter eosdem enatae, finienda esse. Dat itaque princeps, quae sua sunt, quae ipse nec vult, neque, ob multitudinem aliarum rerum, potest commode curare, patriarchis, metropolitanis, aliisque; an autem ideo hi ex illius potestate sunt exempti? At Imperator, etiam in causis ecclesiasticis, pro imperio, quod fieri velit, dicit; cur igitur hoc iuris patriarchae Romano eripuit? Forte tali fuit ingenio, quod in aliena inuaderet, quod nihil pensi haberet, dum, quae vellet, assequeretur. Hoc qui ei obiciat, neminem credo futurum. Nimis multa fortasse, ut quibusdam suspectus est, concessit clericis, quae edicta eius perlecturis facile se obferunt. Nihil autem est, quod patriarchas, archiepiscopos, aliosque clericos, imperio principis subtrahet, arbitrio pontificis Romani subiicit. Quin et episcopi non modo Imperatoris, sed et praefectorum prouincialium obnoxii fuere iurisdictioni. Notabilis in hanc rem, praeter alia, est locus Nouell. 115. Episcopo Tloensi cum diacono quadam Telmissensis intercesserat. Vtrumque, PATRONE OPTIME, personam, vides, sustinere ecclesiasticam. Fuisse igitur haec causa agenda apud metropolitanum d) eius dioeceseos, aut apud patriarcham, ex ipsis Iustiniani instituto. At controversiae arbiter fuerat et iudex praefectus prouinciae. Qui credi potest, eo ilium audaciae fuisse progressum, ut hominem ecclesiasticum, cum que

c) Nouell. 123. cap. 22.

d) Nouell. 123. cap. 21. 22.

que episcopum, ad se in ius raperet? Quomodo tulisset id Iustianus, qui pro summa sua erga clericos indulgentia omnem ab eis iniuriam prohibuit? At ne leuissimum quidem ullius ob hanc rem Imperatori commotae indignationis extat vestigium. Et vero ipsum episcopum de iniuncta sibi a praefecto prouinciae iniuria non conquestum, inde potest intelligi, quia Imperator, qui nihil facile ad se delatum omittit, nullam huius rei in edicto suo facit mentionem. Decernit tantum, qua in posterum ratione et via, similia, si acciderint, agi tractarique sibi placeat. Si itaque, quaecunque de clericis aguntur ad patriarchae Romani sanctissimum quippe iudicium pertinuerunt, et si ipse unus omnia potuit debuitque iudicare, quomodo factum est, ut haec non iudicaret, aut ut officii Imperatorem sui non admonendum putaret, neque in eum, si audire nollet, acerrima sua excommunicationis tēla emitteret? At tacet, harum artium aut omnino ignarus, aut non satis virium se habere arbitratus. Instituit igitur Imperator, ut metropolitani et patriarchae iudicia intra suae dioceses fines exerceant, clericorumque, si quae deferantur, crimina cognoscant. Habent autem hoc ipsius, non patriarchae Romani, voluntate. Vnde interdum ab hac regula est discessum. Licebat porro episcopum, si versaretur Constantinopoli, et litis in eius prouincia nulla adhuc facta esset contestatio, apud Praefectum Praet. Orientis, aut apud eos, quibus causam Imperator tradiderat cognoscendam, nisi esset patriarchae aut metropolitani *legatus* e) accusari f). Sed in hoc patriarchae nihil habuerunt praecipiū, cum et episcopis Imperator concederit, ut in sibi subiectos inferioris ordinis clericos idem exercerent. Disertis enim verbis praecipit, ut, si presbytero, aut diacono lites moueantur, apud episcopum quisque suum respondeat g). Sed quae fuit ratio, qua episcopi in talis causae cognitione vterentur? Reliquit quidem illis Imperator, ut poenas constituerent, quas ipsi vellent,

ita

e) Nouell. 123. cap. 26.

f) Cap. 24.

g) Cap. 21.

## VIII

ita tamen, ut magistratus civilis eas exsequieretur, et si acerbiores viderentur, iniustaeue, ut tum causam hi iterum cognoscerent, horumque decretis, si altera pars stare nollet, ut ea res Imperatori integra seruaretur. Neque vero prohibitum, imo ab ipso Imperatore institutum erat, ut clericus ad magistratum ciuillem adduci, ab eoque damnari posset, praesertim cum episcopus causae cognitionem differret, aut ea capitalis videretur *b*). Causas enim leuiores, de re pecunaria, aut ubi contra disciplinam ecclesiasticam esset delictum *i*), dat episcopis, praepositisque monasteriorum dirimendas. Prudenti sane consilio. Eiusmodi enim causae ab episcopo, qui talium rerum est peritus, saltem esse debet, melius, quam ab homine rebus ciuilibus adsueto, possunt iudicari. Saepe numero autem ipse Imperator, quid sit agendum, quae poenae iniungendae, edicit, in quibus, quae commemoretur, digna est inclusio in monasteria *k*). In his omnibus patriarcha Romanus nihil habet praecepiti, et Imperator parum eius sanctitatem aut potentiam reueritus constituit, quae ipsi videntur.

Age vero, videamus, num callidissimum pontificis Romani ad ingentes diuitias corripiendas inuentum, quo grandem episcopi pecuniam pro pallio, ut vocant, numerare debent, aliquid ex Nouellis praefidii petere poslit. Alia omnia vult et inculcat sapientissimus Imperator, grauissimisque adductis rationibus, hanc sacrorum prohibet nundinationem. Permittit quidem, ut episcopi pro ordinatione, quae dicitur, aliquid dent, sed suae quisque dioceſeos patriarchae. Nullus autem patriarcha, quantum vellet, pro libidine, pecuniam extorquere poterat, sed ipse, pro imperio constituit, quod quisque redditum rationibus accommodatum solueret. Quo autem diligentius hoc eius editum seruaretur, illis, qui negligere sustinuerint, multam iunxit

*b*) I. c. cap. 21.

*i*) I. c. cap. 21. Sect. 3.

*k*) I. c. cap. 20. 30. Nouell. 131. cap. 14.

iunxit grauissimam. Nequè vero omnis illa, quae tali in re solueretur, pecunia, ad patriarcham redibat, sed magna pars aliis clericis, quorum opera ad tales ceremoniam solita erat adhiberi, numerabatur. Videant igitur potestatis pontificiae defensores, num aut Imperatoris leges ratas habuerint, aut quibus rationibus, eas ad pontificem nihil pertinuisse, docere possint.

Sed nec intra hos limites, cancellis quasi circumseptus, se se continet Iustinianus, imo erumpit, latiusque vagatur. Interdicit, ne quis omnino audeat in munere ecclesiastico, aut accipiendo, aut dando, pecunia vti, omnia, imperat, vt legitime agantur. Nulla hic patriarchae, etiam Romani, in consilium adhibiti, mentio; ad nutum omnia voluntatemque suam instituit. Vetat iniusta, docet meliora. Eos pariter, qui pro munere pecunias dent et accipiant, a munere remouet <sup>1)</sup>). Pessime igitur fecerunt pontifices Romani, quod artium fuarum calliditate Imperatoribus Romanis, omninoque principibus, eos subtraxerunt, quorum illi, vt ciuium, essent domini. Quod etsi sit verissimum, nullisque amplius, vt arbitramur, opus sit argumentis, hoc tamen vnum putamus addendum. Veteris ecclesiae episcopi, vt nosti, VIR ILLVSTRIS, ordinati sunt ab metropolitanis aut patriarchis. Hoc totum, vt volunt pontifices Romani, sui tantum est arbitrii. At aliter sensisse Iustinianum, neque hoc a se habuisse alienum, inde colligitur, quod prohibet, quin episcopus, qualicunque de causa accusatus, ordinetur, quod tam eum, qui ordinauerit, per anni spatium, quam eum, qui ordinatus sit, omnino munere deiicit <sup>2)</sup>). Hanc autem legem si omnibus patriarchis, Romano etiam, obseruandam proponit. Praescribit denique, qua ratione episcopi fieri debeat electio, neque vult quemquam ad hunc honorem admitti, nisi de doctrinae Christianae capitibus recte senserit, nisi mores suos sanctos honestosque

prae-

<sup>1)</sup> Nouell. 123. cap. 2. Sect. 1.

<sup>2)</sup> Nouell. 137. cap. 3.

praestiterit, nisi eruditio excelluerit <sup>n)</sup>). Doctrinam autem imprimis in episcopo spectasse Iustinianum, inde discimus, quod grauiissimas, non sine indignatione, de horum aliorumque clericorum ignorantia mittit querelas <sup>o)</sup>). Dicit, quosdam ita fuisse rudes, ut τὴν τῆς ἀγίας προσκυνήσην, ή τῇ ἀγίᾳ Βαπτισμάτος προσευχὴν ignorasse, aut non intellexisse deprehenderentur. Ut itaque huic malo latius subinde serpenti, medeatur, idque, nisi tollat, sistere conetur, imperat cuiusque dioecesos patriarchae, etiam Romano, ut episcopos quotannis, quo de cuiusque doctrina et moribus cognosci possit, conuocent. Non igitur ex pontificis Romani pendet arbitrio, curare ut episcopi aut vnius dioecesos, aut omnium conueniant. Quia vero sibi non semper obtemperatum iri, vsu forte et experientia monitus, suspicabatur, rem tradit prouinciarum praefectis, qui, ne lex negligatur, videant, qui etiam cogant patriarchas et metropolitanos, ut synodos, ex voluntate imperatoris, indicant <sup>p)</sup>). Iudicent ex his pontifices Romani, quo iure, haec omnia, imperatoribus aliisque principibus ablata, sibi vindicare potuerint.

Liceat etiam pauca, VIR ILLVSTRIS, de monasterii commemorare. Notum est vulgo, quae superioribus temporibus fuerit, et nostris etiamnum sit eorum conditio, quae sanctitas, quae in eis divitiarum immensam vim cogendi corripiendique artes, cuius imperia reuereantur. Recipere audeam, neque verborum inanis ea videatur iactatio, ex Nouellis me demonstratum, nihil paene in illis reperiri, in quo non ab antiqua ratione, ea que Iustiniani adhuc tempore usurpata, huiusque voluntate firmata, quam longissime esse discessum, intelligatur. Ne nimis diu a grauioribus te subducam negotiis, hoc tantum afferam. In illud iam diu Romani pontificis potentia fastigium escendit, ut, ex lon.

<sup>n)</sup> Nouell. 123. vult episcopos τρόπους διέβαται.

<sup>o)</sup> Nouell. 137. cap. I.

<sup>p)</sup> Cap. 4. 6.

longe maxima regionum suarum parte, nihil omnino reddituum principes percipere patiatur. Monasteria enim, et omnia, quae suis artibus, acquisuerunt, praedia possessionesque, quamuis multae et amplae, omnium tributorum, vestigaliumque immunitate gaudent. At Iustinianus, cuius iam temporibus praedia possidebant, imperat, ut tributa soluant *q*), ut, si visus sit, vias muniant, pontes faciendos instaurandosue current *r*).

Multa adhuc praetermittenda sunt, quae ad destruendam pontificis Romani potentiam ex Nouellis peti possint, sed vnum hoc, ne adducamus, in animum inducere non possumus.

Quantas per aliquot saecula Christianae rei infixerit calamitates, pestilens illa pontificis Romani, quae vocatur, excommunicatio, nosti, **VIR MAGNIFICE**. Quanto melius episcopi Romani, et suae ad posteros famae, et vniuerso Christianorum orbi consuluissent, si huius temporis episcoporum et Iustiniani exemplum sequuti, censuram suam ecclesiasticam iis circumscriptissent finibus, quibus tantum doctorum de summis doctrinae capitibus contra sacras scripturas sentientium libidinosa prauitas coerceretur? Ex Nouell. enim 42. apparet, hos quidem homines, quorum animos ea insederit superbia et malitia, ut errores capitales aut pertinaciter defendere, aut fraudibus tergiuersandoue contegere mallent, a docendi munere posse remoueri; sed ultra non faeuimus. Quam igitur pontifices Romani inhumanitati suae iustum praetexant caussam? Suis ipsi se laqueis irretiunt, aperta ipsi latera nobis potentibus praebent, cum semper iactent, nobis obtrudant ecclesiasticas, quas ipsi, quae sint, nesciunt, traditiones. Aut enim in istarum numerum hanc Iustiniani legem referant, aut suam tandem de iis opinionem, et simul victoriam atque triumphum, pudore coacti, dimittant.

Sed,

*q*) Nouell. 120. cap. 9. *Tetrapartit* sunt tributa.

*r*) Nouell. 131. cap. 5.

Sed, PATRONE OPTIME, ne TVAM diutius patientiam fatigare velle videar, a consilio plura afferendi discedam. Est enim ea huius temporis ratio, quae omnibus largam laetitiae gratulationisque preebeat materiem. Qui ego tam sim ferreus, et a gaudiorum sensu alienus, ut praecepui quid me habere non intelligam, idque tantum, ut animi mei affectiones sermone me expressurum diffidam. Sed ea, VIR MAGNIFICE, haud vulgaris erga me benevolentiae expromsisti argumenta, quibus inducto credere licet, TE eum me habiturum, qui de nouo TVO honore sic gaudeat, ut qui maxime. Cuius de TE gaudii ut Deus Optimus Maximus largam perpetuamque det materiem, ita persuasum habeas, precibus ad eum votisque me cum omnibus certaturum, ut nihil antiquius putem, iucundiusque. TE enim saluo, TE incolumi et florente, nescio an summa quaeque consequutus videar. Illa autem si, ut sperare fas est, Deus omnium precibus concesserit, iniunctarum cum nouo TIBI honore molestiarum, vel filius dulce afferet lenimentum. Hunc enim, cuius TVIS auspiciis mores mihi et studia regenda tradidisti, AVI TVISQUE vestigiis insistentem, vtilem aliquando patriae egregiamque operam nauaturum, non est, quod dubitemus.



Kt 1874


Vd 18

**ULB Halle**  
005 814 049

3







17287.

7

# EPISTOLA

Q V A

VIRO ILLVSTRI MAGNIFICO

SVMME REVERENDO CONSVLTISSIMO

AMPLISSIMO

CHRISTIANO GVILIELMO  
KVSTNERO

CONSVLATVS HONOREM

GRATVLATVR

JOANNES PETRVS SCHMIDIUS.

LIPSIAE,  
EX OFFICINA LOEPERIA.

